manibus iam omnium rerum felicem habentes successum.
Postremo gladium assumant spiritus, quod est verbum
Dei, cum quo efficax sit corporalis gladius, ac militaris potentia. Hoc enim est verbum, quod in cor nostrum
inserit ac ingenerat Deus pater per Christum in
spiritu sancto paracleto, fide nos confirmans, spe
animans, charitate perficiens, ut triplici verbo
efficax sit omnis nostra operatio in Chr. Jesu.
Breviter arma quidem parata habeant Catholici
externa, sed quae fiant his spiritualibus armis
efficacia ad destructionem munitionum, consiliorum,
atq; arrogantis altitudinis Haereticorum.
Magnum erit comparatum praesidium Germaniae si
Universitates studiorum generalium visitentur auctoritate apostolica, et reformentur, et quod ad mores attinet, et quod ad studiorum instituenda propter haereticorum circumstantiae. sed in ea tamen omittendum non erit, quin commodo aliquo compendio Theologia scholastica enarranda praesentabatur. Quaestiones item catholicae, atq; excellentis

doctrinae

doctrinae de controversijs praesentis aetatis, sive ut verius dicatur de quaestionibus adversus haereticos comparatis.
Curandum ut fieri possit potestas legitima catholicis
in Germania per legatum et episcopos legendi libros haereticos, tantum adoppugnandum non alia
prorsus ratione. Et haec quidem insignibus solum
hominibus ut possit concedi, et quos nullus dubitare
possit ene lectione illorum librorum deperandos.
Reliquis nullo pacto videtur licentia haec concedenda: si enim haereticorum argumentis respondendum est, sat commode praestare id poterit, si catholicorum legantur libri, quibus satis est omnibus haereticorum argumentis responsum.
Sint Rmi Cardles huius congregationis non tantum
Germaniae universae patroni, sed singulorum etiam
Germanorum hominum patroni, adiuvent, benefactores.
Erit autem Congregationis, quae officia, ac beneficia
in Germaniam conferet, ea omnibus septentrionalibus regionibus praestare in Dno.